Duplicate

ANATOMICARUM DISPVTATIONVM ALTERA, reliquam τῶν προλεγομένων partem continens.

QVAM,

S. Sanctæ & adorandæ Triadis adſpirante gratia.

SVB PRÆSIDIO

D. DANIELIS MÖGLING TVBINGENSIS,

MEDICINÆ DOCTORIS ET *Profeſſoris Academiæ patriæ, patris ſui piè colendi, exercitij gratia, in Medicorum auditorio, die 20. Aprilis, conſuetis horis, defendere conabitur*

M. IOHANNES RVDOLPHVS MÖGLING F.

TVBINGAE
Excudebat Georgius Gruppenbachius,
ANNO M. D. XCIIII.

REVERENDO
ET CLARISSIMO VIRO, PIE-
TATE, DOCTRINA PRVDENTIAQVE
præſtanti, D. M. Ioanni VVilhelmo Môgling, Vahingenſium
Parocho fideliſsimo, atque Maulbronnenſis diœceſeos Eccle-
ſiarum Superintendenti generali vigilantiſsimo di-
gniſsimoq; , Domino patrueli ſuo reue-
renter colendo,

*Hanc ſuarum primitiarum par-
tem alteram,*

*Obſeruantiæ & gratitudi-
nis ergò, offert*

*M. Ioannes Rudolphus
Mögling, F.*

BRITISH MUSEUM
SALE DUPLICATE
1787

Diſputatio
ANATOMICARVM *ALTERA.*

THESIS I.

IN ANATOMES DEFINITIONE, *ſuperiori diſputatione tradita, præter formalem & materialem ibidem explicatas cauſas, finalem quoq; adiecimus: quandoquidem omnis artis tractatio circa ſubiectum ſuum verſetur, non niſi propter certum aliquem humanæ vitæ vtilem conſequendum finem. Nequaquam enim ſolis ſubiectis differunt artes; ſed reſpectu diuerſorum finium, ſæpè circa ſubiectum idem occupantur artes diuerſiſſimæ. Suo ergo certò quodam fine, artis cuiuſq; ſubiectum limitandum eſt.*

2.

Finem hunc Anatomicæ artis duplicem eſſe diximus: Internum, ſiue proprium vel proximum, Ariſtotelicis ᾧ *nuncupatum: qui etiam verus finis eſt, ipſum Anatomicum conſtituens & perficiens, in quo perfecti Anatomici officium conſiſtit; ipſa videlicet* τῆς τεχνικῆς ἕξεως, ἀνατομικῆς *nimirum,* ἐνέργεια; *non ſolùm nimirum ipſius Anatomicæ adminiſtrationis exquiſita peritia & exercitium, verum etiam totius fabricæ humani corporis perfecta cognitio & explicatio.*

3.

Qui enim totius humani corporis, & omnium eius, etiam minutiſſimarum organicarum partium, naturas ac proprietates; accidentiaq́;, quibus ſingularum κατασκευαὶ, *ſubſtantiæ propriæ & conformationes conſtituuntur; item ea, quæ his, contra naturam & conſtitutionẽ earũ, accidere ſolent, quæq́; ex his omnib. artificioſè colligi poſſunt, perfectè intelligit; eaq́; omnia in cadauere humano, proprijs ac doctis manibus illud ſecando, aut ſaltem ſectionem dirigendo, vel pro ſe rimari, vel alijs etiam demonſtrare, explicare, & quod ipſe nouit, docere alios poteſt; is demum*

proprium ſuum finem adeptus, optimus Anatomicus erit, recteq́ opere & munere ſuo perfunctus fuerit.

4.

Veruntamen finis hic internus, alium quoq́ reſpicit externum finem, οὗ, appellatum; remotiorem ſcilicet, qui extra conſiſtens, ipſum Anatomicum non conſtituit, ſed proprij & interni illius finis, Anatomicæ ſcilicet energiæ, quaſi perfectio quædam & fructus exiſtit, propter quam Anatomica energia ſuſcipitur: atq́ adeò ſcopus potius eſt dicendus, ad quem energia Anatomici dirigitur. Artificioſa enim adminiſtratione illa ſua, ſuaq́ ſcientia & doctrina, tum ſibimet ipſi Anatomicus inprimis, tum alijs compluribus, diſcipulis ſuis & ſpectatoribus, maximas & innumeras vtilitates conferre poteſt.

5.

Anatomicus etenim, qui in nuda hac Anatomica arte ſua ſubſiſtere noluerit, ſed adſcendere, aut ad perfectiorem Philoſophiam, aut ad Philoſophiæ faſtigium Medicinam, cupiat; is profectò longè facilius, quam Anatomes ignarus, id conſequetur. Imò neque Philoſophus, neque Medicus verus, verè vllus erit, aut dici poterit, ſine Anatomes cognitione. Quippe quæ ad vtramq́ ſcientiam illam, vt & inprimis ad praxin Medicam, non vtilis ſolum, ſed ſummè neceſſaria exiſtat.

6.

Quin & tam latè patens, atq́ amplus externus hic finis eſt Anatomiæ, vt non literatis ſolum & artificibus, verum omnibus in genere hominibus, qui vel aliquam ſaltem, non dicimus eruditionis & ſapientiæ, ſed pietatis & humanitatis laudem affectant, eius cognitio ſit perutilis.

7.

Et vt à poſtremis auſpicemur: ſi ſapienter veteres μικρόκοσμον appellarunt hominem, quod in ſe omnia contineat, quæ vniuerſus hic mũdus ampliſsimo ſuo ſinu complectitur: certè, qui ſeipſum norit, omnia nouerit, vereq́ Apollinis, imò Syracidis oraculo, ſapiens erit: cum in ſe rerum omnium habeat ſimulachra homo.

Plato in Alcib.
Syr. cap. 13.

8.

Primò namq́ corporum omnium, etiam inanimatorum, μετριότης eſt, & regula homo: vegetat deinde cum plantis: ſentiendi facultatem commu-

communem habet cum brutis: cum angelis intelligit: atq; vt in numiſmate, τὸ χάραγμα Cæſaris, ſic in homine, Dei conſpicitur ſculptura, ad cuius ſcilicet imaginem efformatus eſt. Hinc rectè Philoſophi priſci illi dixerunt, hominem poteſtate omnia eſſe, omniumq; rerum menſuram & exemplar exiſtere; recteq; adeò nos quoq; dicimus, qui ſe ipſum norit, omnia nouerit.

9.

Nequaquam tamen ampliſſimam hanc ſcientiam ſapientiamq; tumidus (vt fieri aliâs plerunq; ſolet) comitatur faſtus; ſed hominem decens potius humilitas. Humanus enim erit, nec vnquam ſuperbiet, memor naturæ: memor autem erit eius, qui ſeipſum obſeruet. Vnde Heraclitus ille adhuc iuuenis, omnium ſapientiſſimus habitus fuit, quoniam ſe ſciebat eſſe nihil. Baſilius.

10.

Quin etiam accurata cognitio tui ipſius, ſufficienter te veluti manu deducet ad notitiam contemplationemq; Dei, ipſamq; adeò pietatem, culturam & veneratione Numinis. Efficit etenim, vt teipſum contemplatus, veluti in ſpeculo, domicilium illud animæ (ſicut Plato vocat) ſeu templum S. Spiritus (vt Paulus appellat) prorſus introſpicere queas: vtq; ſic (eodem teſte Paulo) per ea quæ facta ſunt, hoc eſt, per creaturam viſibilem, inuiſibilia Dei, omnipotentiam nimirum, ſapientiam, prouidentiam, bonitatemq; eius, veluti per effectus cauſam, conſpicias. Baſilius. Gal. de vſu part. lib. 17. cap. 2. 1. Cor. 6. Rom. 1.

11.

Qua de re etiam Gal. noſter, vtcunq; aliâs profanus, in Anatomicis ſuis operibus extra metam propoſiti ſæpè excurrens, quam plurima ſcripſit, atq; Dei & naturæ omnipotentis opera piè admiratus, ipſam partiũ corporis noſtri explicationem, ἱερὸν λόγον, καὶ τοῦ δημιουργήσαντος ἡμᾶς ὕμνον ἀληθινὸν, id eſt, ſermonem ſacrum & hymnum verum conditoris noſtri vocat. Gal. lib. 3. cap. 10. de vſu part.

12.

Summæ quippe ſapientiæ & potentiæ, inquit, indicium eſt, noſtri corporis ædificatio. Si namq; ſcopos, ad quos fabrica hæc conſtituta eſt, connumeraueris, eoſq; optimè aſſecutum eſſe opificem deprehenderis: quid aliud, quam euidentem ipſius opificis magnitudinem potentiamq; cognoſces. Lib. 9. de plac. Hipp. & plat. c. 16. Ibid. c. 15.

13.

Hanc verò ſui ipſius cognitionem, vt pulcherrimam, ita difficillimam, quum ipſa corporum reſectio & Anatome, egregiè atq; facillimè doceat: omnibus ſanè hominibus, ad ſui ipſius & Dei notitiã, ſummamq; ſapientiam; ad vitam rectè inſtituendam; ad humanitatem pietatemq; comparandam, cum primis vtilis, atq; vniuerſis, etiam illiteratis Ethnicis & Atheis, communis erit.

14.

Iam verò, quam ab hac arte noſtra pictores atque ſculptores, milites item atque ſimiles alij, vtilitatem capiant, dicere nihil attinet. Ipſis Philoſophis autem, non ijs ſolum, qui in naturæ obſcuritate laborãt, verum etiam, qui de vita & moribus, & his, qui de diſſerendi ſubtilitate tractant, partim vtilis tantum, partim etiam neceſſaria eſt Anatomes cognitio.

15.

Quum enim paßim apud veteres Oratores, Hiſtoricos atq; Poëtas, aliosq; omnis generis Scriptores, humani corporis partium, proprietatũ, actionum & paßionum, crebra mentio incidat, imò verò omnis ſermo noſter, de his rebus aliquid habeat: profectò ad authorum ſcripta plenius intelligenda, ipſamq; logicam Philoſophiæ partem, haud parum Anatomiæ conferet vel mediocris notitia.

16.

Ad formandos deinde hominum vitam & mores, (quæ altera pars eſt Philoſophiæ) quam ſummè vtilis ſit Anatomes ſcientia, inde euidens eſt, quod plurimarum pulcherrimarumq; virtutum illuſtriſſimæ imagines, prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ, caſtitatis, iuſtitiæ, &c. ipſis humani corporis partibus impreſſæ ſint: ad quarum exempla, tum profanæ, tum ſacræ literæ non rarò nos ablegant. Vt hinc non Philoſopho duntaxat morali, verum etiam ſuperioribus Facultatibus, Theologiæ & Iuriſprudentiæ, vtilis ac ſuauis admodum hæc ſit cognitio.

17.

Quemadmodum enim mirificè ab Hipp. noſtro dictum eſt; habere homines corpus iuſtum; ab eoq;, & Gal. optimo eius interprete, natura hominis, non tam iuſta, quam erudita et prouida, multis locis appellatur: ita ſanè ex hac naturæ noſtræ contemplatione, D. Paulus, Chriſti & Eccleſiæ

Gal. de plac. lib. 9. cap. 15.

Paulus ad Epheſ. cap. 4.

cleſiæ ſuæ imaginem, conſolationis plenam, & ad mutuam fraternam charitatem efficacem adhortationem: Regni item ſeu Politiæ ciuitatiſq́; ſimulachrum, in eoq́;, de iure, iuſtitia atq; æquitate, in omnibus obſeruãda, de officio ſuo fideliter ab omnibus præſtando, admonitionem grauiſſimam deducit. Rom. 12.

18.

Ad naturalem deniq; Philoſophum quod attinet; non huic vtilis ſolum, ſed & neceſſaria maximopere eſt, perfectiſſima quoque Anatomica contemplatio atq; exercitatio. Anima enim, cum ἐντελέχεια *definiatur corporis phyſici organici; & corpus totum, ipſo Ariſtotele teſte, animæ gratia conditum ſit, membraq́; eius officiorum gratia conſtent & munerum, ad quæ ſingula accommodantur: quid quæſumus de anima & functionibus hiſce; & in vniuerſum, quid de hiſtoria, de generibus, differẽtijs, ſpeciebus, de proprietatibus, de partibus, earundemq́; cauſis, deq́; generatione animalium, (quorum omnium cognitio ad Philoſophum pertinet) docti diſputabit, qui non ſimul omnium partium ſtructuram & vſus, omnibus veſtigijs indagarit. Ad ipſius animæ ergo & naturæ perfectam contemplationem, corporis quoq; phyſici organici cognitio requiritur.* l. 1. de part. animal. cap. vlt.

19.

Neq; ad Philoſophum huiuſmodi perfectum, humani ſolum, verum etiam reliquorum animalium corporum Anatomica inquiſitio & manualis adminiſtratio pertinere videtur. Quicunq; enim vult operum naturæ eſſe contemplator, inquit Gal. noſter, non oportet eum Anatomicis libris credere, ſed proprijs oculis accedere, & ipſum per ſe diligenter exexceri Anatomis manu obeundis. l. 1. de vſu cap. 3.

20.

Quod de naturali Philoſopho, idem omnino, hac in re, de Medico quoq; (ad quem omnes hactenus recenſitæ vtilitates non minus ſpectant) rectè dici exiſtimamus; quatenus videlicet is quoq; Philoſophus, adeoq́; ἰσόθεος, *haberi & eſſe velit. Quatenus verò Medicus ſolum, iam non niſi humanum corpus; per accidens autem, ob defectum huius, vel ad huius pleniorem duntaxat cognitionem, & ſui interni finis perfectiorem conſecutionem, reliquorum animalium corpora, ipſi ſecanda eſſe, arbitramur.*

Internus

21.

Internus namq; finis iſte, atq; perfecta Anatomica cognitio, ad alia deinceps quam plurima ipſi prodeſt: non tam ad theoriam reliquam Medicæ ſcientiæ, quam maximè etiam ad praxin & artis vſum. Neque enim Medicus, Philoſophi inſtar, corporis humani vniuerſam naturam ob id contemplatur ſolummodo ſcrutaturq́;, vt animum ſcientia hac ſua excolat; verum potius, vt hæc ſcientia ipſius, extra ad finem alium vergens, ἔργον quoddam producat, quod energia ſcilicet ſui habitus efficere conatur; nempe ſanitatis conſeruationem, propulſionemq́; morborum.

22.

Hoc verò opus ſuum quomodo efficiet, niſi vtriusq́; accidentis huius, ſanitatis ſcilicet & morbi, naturam exactè cognoſcat: quod tamen (cũ per ſe nihil ſint illa, ſed in ſubiecto, animato videlicet corpore, hæreant) fieri nequit, ſi non ipſum illud ſubiectum quoque perfectè cognitum habeat: id quod conſequitur potiſsimum ἀτοψία Anatomica; quæ firmiſsimum quaſi fundamentum eſt Medicæ ſcientiæ, vim habens communium & euidentium notionum, quæ non probari, ſed poſtulari concediq́; ſolent; ex quibus deinceps poſitis & conceſsis, vtpote manifeſtiſsimis & veriſsimis principijs, demonſtrationes omnes, ad medendi artem pertinẽtes, defluunt atq; conficiuntur.

23.

Etſi enim multa ſint in ſubiecto illo, quæ Anatomica adminiſtratione patefieri nequeunt; vt ſunt anima cum omnibus facultatibus eius, & actionibus quibuſdam; totius item corporis & ſingularum partium craſeis; calidum præterea & humidum σύμφυτον, ἔμφυτον, & ἔμψυχον, omnesq́; ſpiritus, & ſi quæ ſunt alia, quæ ſub ſenſus aut omnino non, aut difficulter cadunt: tamen profectò ex ijs, quæ ſenſu percipiuntur, ad horum quoq; cognitionem multò faciliorem, via recta & aperta ſternitur. Atq; hinc Medicus, ad ſubiecti ſui contemplationem & perfectam notitiam, inprimis Anatomica arte opus habet.

24.

Deinde cum πάθη illa, nempè ſanitas & morbus, in ſubiecto hoc ſuo, humano videlicet corpore, non inſint primò & per ſe, ipſi ſcilicet οὐσίαι corporis & partium eius; ſed propter certa duntaxat quædam accidentia,

cidentia, partium nimirum ſimilarium craſes, atq; organicarum conformationes, iiſdem adſcribantur: illa verò accidentia pleraq;, non vllo alio modo rectiùs, quam ipſis ſenſibus, mediante Anatomica administratione, percipiantur: patet iterum, quam hæc neceſſaria ſit Medico: quo videlicet intelligere valeat, quæ & quam multiplex iis, vel κατὰ φύσιν κατασκευὴ atque ſanitas, vel παρὰ φύσιν διάθεσις, ſeu morbus ineſſe poſſit.

25.

Imò hæc ipſa, niſi beneficio Anatomicæ artis perfectè nota habeat & perſpecta, neque cauſas naturales, διαθέσεις naturales conſeruantes fouentesq;, vel eaſdem impedientes, impugnantes, corrumpentesq;, & παρὰ φύσιν διαθέσεις introducentes; neq; vtrarumq; harum præſentium, futurorum, præteritorumq; ſigna & indicia, intelligere & ritè diiudicare poterit. Vt ſic ſanè, non tam ad ὑγιεινὴν, quam παθολογικὴν Medicinæ theoriam, Anatomica ars vtilis ſit, ſummeq; neceſſaria. Gal. l. 17. de vſu part. c. 2.

26.

Ex quibus iam meridiana luce clarius euadit, quantum ad praxin quoq; Medicam, partemq; θεραπευτικὴν, & vtilitatis, & neceſſitatis habeat Anatomia; ſiue διαιτητικὴν, ſiue φαρμακευτικὴν, ſiue χειρουργικὴν reſpicias.

27.

Cùm enim Indicationes omnes, vitales, præſeruatoriæ, & curatrices (quæ nobis curandi ſcopos, An, Quid, Quantum, Quomodo, Quando & Vbi agendum ſit, vt ad ſanitatis conſeruationem & reſtitutionem commodiori via perueniamus, indicant; adeoq; remedii genus & ſpeciem, quantitatem, modum, viamq; vtendi remedio, determinant) à tribus potiſſimum Indicantibus ſumantur; ipſius Virtutis; & Morbi ipſius; Lociq; affecti, natura atq; eſſentia; hæc verò, vt conſtat ex dictis, maxima ex parte per Anatomiam cognoſcatur: Anatomes profectò ignarus (eſt namq; rectum, & ſui, & obliqui index, καὶ πάντα ἐν τῇ ἰατρικῇ σκόπον ἔχει, τὸ κατὰ φύσιν) neque quæ Virtuti ſimilia ſint, ipſamq; foueant & ſuſtentent; neque quæ Morbo contraria ipſum oppugnent atq; profligent, ſiue alimenta, ſiue remedia; neq; quem in iiſdem, Affectus locus, reſpectum peculiariter deſideret, quaq; via & ſede eadem applicanda, quæ & vbi pars ſcindenda quælibet, circumſcindenda, abſcindenda, eximen- Ariſt. lib. 1. de anima. Hipp. libr. 1. de diæta, tex. 1. Gal 17. de vſu. cap. 2.

da, reponenda, aut quacunq; alia ratione feliciter manus adhibenda ſit, modo vllo intelligere, neq; adeò appoſitè, citò, tutò, & iucundè agere poteſt.

28.

l. 2. de adminiſt. Anat. cap. 3. *Ne itaq; æger voto ſuo, & Medicus ſcopo: medicamentumq; effectu fruſtretur ſuo; Practicus Medicus, Anatomicus ſit oportet. Hæc enim tam neceſſaria eſt, inquit Gal. vt nè ipſi quidem Empirici, qui contra Anatomen libros integros commentati ſunt, hanc ſententiam audeant damnare, ſed fateantur potiùs, omnium id genus cognitionem eſſe vtiliſsimam.*

29.

lib. 2. Anat. admin. c. 3. *Etenim, noui, inquit idem, horum ignaros, quotidiè in rebus ſecuris, timidos; in ijs, quæ metum expoſtulabant, ſecuros extitiſſe. Sine clauo proinde & remis nauigabit, naufragium certò facturus, quicunq; citra Anatomes cognitionem, ſe Medicinam factitare poſſe arbitrabitur.*

30.

At certè ſi non aliud, ſaltem ad memoriam theorimatum præceptionumq; totius artis, non parum prodeſſe Anatomia videtur. Quippe quæ res ipſas, de quibus Medicus tractat, quaſi oculis exponit, ſuasq; in regiones quaſdam ſubdiuidit. Res verò ipſas, quam ſola verba, longè in memoria eſſe conſtantiores, experientia teſtatur: cum prius ſemper nominum, quam rerum ipſarum, cognitio memoriaq; deponatur.

31.

Cæterum ob neceſsitatem hanc maximam, vtilitatemq; ampliſſimam Anatomicæ artis, quam vniuerſo generi humano præſtat, mirum non eſt, eandem à multis ſeculis inde vſq; ad noſtra tempora hæc, omni cultu & honore, à præclariſsimis quibusq; Philoſophis & Medicis affectam & conſeruatam, in ſummaq; dignitate & exiſtimatione, ab omnibus hominibus, habitam fuiſſe.

32.

Nobilitata eſt enim profeſsio hæc, non immenſa vetuſtate ſolum, verùm etiam, quod eius ſtudioſiſsimi fuerint ſemper Reges terræ, Imperatores & viri Principes: imò quod iam olim illa (quemadmodum quidem Medicinæ tota Profeſsio) multis ſeculis ad Ariſtotelem vſq;, in illuſtrium duntaxat familiarum poſſeſsione ſtudioſiſsimè reſeruata fuerit.

Sic

33.

Sic enim in Hippocratis familia Regia, & (vti Ethnicis habebatur) diuina, glorioſum ducebatur, hanc non niſi poſteris per manus tradere: & pueros regios nobileſque, vti lectione & ſcriptura, ſic cadauerum quoque diſſectione exercere: quò inſtructiores videlicet poſtea ad ipſius artis diſcenda præcepta venirent: arſque ipſa diuina, apud alienos non diuulgaretur profanareturque.

34.

Ob domeſticas has ſectiones atque inſpectiones crebras, factum Galenus arbitratur, quò minus dicta ars à priſcis illis Principibus ac Philoſophis Medicis, ſcriptis mandata fuerit. Qua paulatim veteri diligentia extincta, qui poſteris & rei Medicæ conſultum volebant, etiam hiſce in rebus, libris opus eſſe cenſuerunt.

35.

Ex quibus quidem primus Hippocrates pauca ſuis ſcriptis inſeruit: quem etſi ſecuti ſint alij plurimi; ad nos tamen ipſorum monumentorum nè fragmentum hucuſque perueniſſe nouimus, præterquam Platonis & Ariſtotelis, quorum vterque Philoſophus ſummus, quantum in hoc ſtudio operæ & induſtriæ collocarint; ex illius quidem Thymæo, huius verò de Animalibus varijs & compluribus diuinis libris, luculenter apparere exiſtimamus.

36.

Poſt hos, vt Medicorum, ita & Anatomicorum Princeps, vnus Galenus merito nobis habetur: cuius in hac materia ſcriptorũ licet pars vix dimidia ab interitu vindicata exiſtimetur; in his tamen, qui ſuperſtites ſunt, libris, totam Anatomen omnium doctorum iudicio feliciſsimè doctiſsimeque abſoluit. A cuius temporibus poſtea, pauciſsimis exceptis, græcè Anatomica nemo ſcripſit; qui tamen ſcripſerunt, bona cuncta quæ habent, à Gal. ipſò mutuata videntur.

37.

In quorum catalogum, omnes quoque Arabes adſcribimus, in hac arte indoctiſsimos ineptiſsimoſque: quos ſecuti & partim imitati ſunt Latini barbari, nonnullique elegantiores alij: qui omnes, aut Gal. ſcripta in commentaria quoque ſua tranſtulerunt; aut eadem explicarunt: nonnulla tamen inuenerunt & ipſi.

38.

Tandem verò, noſtro hoc æuo, per Dei magnam gratiam, excitatus eſt, ſuſpiciendo ingenio induſtriaq; incomparabili præditus vir Germanus, Andreas Veſalius, qui omnibus quaſi numeris artem hanc abſoluit: quanquam nè ſic quidem, quin hactenus doctiſſimi aliquot multi viri, non ſine laude addere nonnulla, nonnulla expolire exactius potuerint: quos (præſertim qui non ex inuidentia calumniosè agunt) ob id etiam haud quaquam negligendos arbitramur. Sed hæc de fine quoq; externo, vtilitate, neceſſitate, dignitateq; & cultoribus Anatomes, hactenus ſint dicta.

39.

Comprehenditur deniq; in definitione noſtra, ipſa quoque cauſa efficiens, quæ in ſubiectum, præcedente diſputatione declaratum, artificiosè, auxilio ſuorum inſtrumentorum, propter hactenus expoſitos fines, agit. Eamq; ob id duplicem poſuimus; principem ſeu primariam vnam; alteram inſtrumentalem, ſiue minus principalem.

40.

Eſt autem efficiens primarium, ipſemet Phyſiologus, Anatomicæ artis habitu theorico & practico informatus. Quales ſanè fuêre, quos paulò antè recenſuimus Anatomicorum principes; & ſunt quoq; alij, quicunque hanc artem rectè tenentes ritè exercere poſſunt: de quibus, vt plura dicantur hoc loco, haud opus eſſe exiſtimamus.

41.

Efficientia verò ſecundaria, Anatomici videlicet inſtrumenta & media, varia fereq; quadruplicia exiſtunt; manuum operæ, ſenſuum iudicium, ςοχασμὸς, & doctrina; eaq; doctrina, ſiue oſtenſione exhibitioneq;, ſiue voce, ſiue ſcriptis facta.

24.

Manuum autem operà, artificioſam diſſectionem, aut ipſe adminiſtrat Anatomicus, aut ſaltem alterius ſectionem dirigit. Artificioſam diſſectionem vocantes nihil aliud, quam ſeparationem, inſtrumento commodo factam, partis vnius ab altera, ſine alterutrius detrimento: ſeruata cuiuslibet, quæ ipſis oculis reliquisq; ſenſibus dijudicanda exponitur, circumſcriptione propria. Hac ſiquidem, per ſectionem aut aliter

pereunte

pereunte vel obliterata, nequaquam ſectio artificioſa, ſed dilaceratio potius appellabitur.

43.

Fieriq́ administratio hæc dicitur artificioſè, non ſolùm debito iamq́ expoſito modo; verùm etiam, tempore, loco, ordine, miniſtris, inſtrumentisq́ aptis & idoneis: tempore, puta, potiſsimum pergelidæ hyemis; loco amplo, illuſtri, perflabili, theatro capaci adornato; in cuius medio editior & verſatilis menſa, omnis generis neceſſarijs inſtrumentis, velut à doctiſsimo Veſal. egregiè deſcribuntur depinguntúrq́, parata ſit & inſtructa.

44.

Primoq́ artus ſecandi, & poſtea demum ventres; niſi cadauerum fortè inopia, aut Anatomici intentio diuerſa, ordinem immutari, & à ventre inferiori, aut parte alia, exordiri ſectionem cogat. Cui adhibendi quoq́ ſunt miniſtri idonei, ſodales vel diſcipuli: cum vix homo vnus ſufficere neceſſarijs omnibus poſsit.

45.

His cunctis ritè diſpoſitis, dum ita manibus corpus in partes, & has in alias ſecat Anatomicus; animus interim ſciendi deſiderio flagrans, & rerum cognitionem ſibi parare contendens, inprimis ſenſibus, tanquam rerum internuncijs certiſsimis vti; omniaq́ & ſingula, etiam minutiſsima quæq́, omnibus quibus poteſt & debet rationibus, obſeruare, cum alijsq́ conferre, ſingula dijudicare atque memoriæ mandare debet.

46.

Cum verò duo rerum genera ſint; quorum alia luſtrantur ſenſibus, alia cognoſcuntur mente: animus ſenſibus vtens in cognoſcendis rebus ſub ſenſum cadentibus, ſenſim & ordine eaſdem diuidit, diuidendaq́ rimatur, quoad perueniat ad ea, quæ ſola mente apprehenduntur, atque ita λογισμῷ à rebus ſenſibilibus nobisq́ notioribus, ad natura clariora illuſtrioraq́ progreditur, nobis aliâs (quippe à ſenſibus remotiſsima) abdita maximè & abſtruſa.

47.

Atq́ ſic quidem, manibus, ſenſu & ratione, omnia quæ poteſt, ſenſibilia & intelligibilia, in corpore humano, Anatomicus accuratiſsimè

rimatur & explorat, ſuiq́ interni finis particeps ſit. Quo verò externū quoq́ conſequatur finem: ſimul, ſiquidem Philoſophus ſolum ſit, ad animæ naturam & facultates cognoſcendas; ſin & Medicus, ad res Medicas, ipſumq́ ſanitatis ſtudium, ſingula exquiſitiſſimè accommodat.

48.

Vterq́ verò, quo non in ſe ſolum, ſed in alijs quoq́ externi huius finis particeps fiat; quæcunq́ inuenit, obſeruat & intelligit, mox aut ſpectatoribus monſtrat, viuaq́ voce explicat: aut, quæ ſolus didicit, ſcriptis mandans, alijs fideliter communicat. Quæ omnia qua methodo peragenda, optatiq́ illi fines conſequendi ſint, ſuoq́ hoc officio perfungi Anatomicus debeat, theſibus ſequentis diſputationis, Deo duce, explicabimus.

49.

Cæterum ex quadruplici cauſarum genere, variæ denique etiam Anatomes differentiæ & ſpecies conſtituuntur: non ſanè omnes perfectæ, ſed quarum quædam coincidere videntur. Et reſpectu quidem cauſæ formalis; alia practica, alia theorica, alia ex vtraq́ compoſita & perfecta dicenda erit: quarum illæ æquiuocè duntaxat, vt retrò diximus, hæc verò propriè ars Anatomica appellatur.

50.

Quandoquidem illarum prior, peritia ſolummodo quædam ſit, vſu & experientia potiſſimum parata, in ipſaq́ maximè ſectionis notitia conſiſtens, fereq́ Empiricis atque Chirurgis conueniens: altera verò ſola ratione conſtet, hiſtoriarum atque præceptionum lectione acquiſita, ſine aliquo adhibito ſectionis exercitio, in naturæ contemplatione occupata, & Philoſophis magis apta: hæc autem ratione & experientia conſtans, totam artis eſſentiam compleat, & Philoſophum Medicum perficiat.

51.

Reſpectu deinde cauſæ materialis, variæ admodum differentiæ conſtitui poſſunt. Siquidem principalis quædam, proprieq́ Medica, humani ſcil. corporis; quædam minus principalis & potius Philoſophica, bruti alicuius videlicet Anatomia appellabitur. Quædam item cadaueris: quædā animalis viui: Quædam viri; quædam infantis, iuuenis vel ſenis: Quædam optimè conſtituti, & integri: quædam mutili ac morbo corrupti:

Quæ-

Quædam naturali morte extincti; quædam violenta hac vel illa interempti corporis ſectio erit.

52.

Alia præterea vniuerſalis, quæ vniuerſum qualecunq; corpus; alia particularis, qua eius pars duntaxat diſſecatur quædam, vocari poterit. Et ex particularibus quidem, duæ dari poſſunt ſpecies præcipuæ, ſecundũ geminas corporis partes: ὀςεολογία, cuius ſubiectum ſit σκέλετον, reliquarum partium quaſi fundamentum: & Ϲαρκολογία, cuius ſit ſubiectum corpus reliquum.

53.

Quia tamen caro, latiore ſignificatione hoc loco ſumitur: ideo ſub Ϲαρκολογίᾳ, aliæ etiam comprehenduntur ſpecies variæ, pro differentia ſcilicet variarum partium: vt Anatomia viſcerum, venarum, arteriarum, neruorum, cerebri, vteri, muſculorum, viſus, auditus, odoratus, &c. inſtrumenti.

54.

Veruntamen à finali cauſa multò potiores petuntur differentiæ. Pro diuerſo ſiquidem Anatomici fine, diuerſa quoque, ſi haberi poſſunt, ſubiecta corpora eliguntur, diuerſæq; Anatomiæ ſpecies atq; inſecando ordines diuerſi inſtituuntur.

55.

Aut enim Anatomicus diſcere docereq; conatur χειροτεχνίαν ſolam & ſecandi artificium: aut ipſam animalis cuiuſpiam genuinam natiuamq; omnium vel aliquarum partium ſtructuram, & cõformationem, & quæ ad hanc pertinent, indeq; colliguntur: aut partis alicuius propriam actionem, vel vſum: aut deniq; partium quarundam præternaturales affectus, vel ipſum affectum locum, vel cauſam, vel ſignum affectus, & quæ hinc quoq; colligi alia poſſunt.

56.

Qui ergo χειροτεχνίαν ſolum diſcere aut docere volet; corporum diſcrimina non magnoperè curabit, ſed in multis varijsq; ſeſe exercebit cadaueribus & corporibus viuis. Quæ quidem peritia Anatomica ante omnia tyronibus, crebris exercitijs acquirenda eſt.

57.

At qui humani, vel animalis alterius alicuius, corporis partium natu-

L.9.Admin. *naturalem ſtructuram, admirandamq́; fabricam indagari contemplariq́; conatur, quæ, Gal. teſte, prima eſt Anatomiæ ſpecies; is cadauer eiuſdem animalis, violenter & recens extinctum, non morbo aut inedia exhauſtum, vel aliter corruptum, ſed omnibus partibus abſolutum, ætate conſtanti, ſtatura mediocri, bonaq́; carnis habitudine, ſed pauca pinguedine præditum, & mundum, rectè ſibi eliget.*

58.

Lib.2.c.14. *Ac ſanè muſculorum ſolummodo ſectioni, corpus oportunius adhibebit, decollatum, vel potius, vt Veſal. vult, ex quo venæ prius ſectæ, vniuerſum ſanguinem in aquam calentem effuderint. In reliquarũ partium inquiſitione, ea, quæ aut veneno extincta, aut aqua vel ſtrangulatione ſuffocata ſunt, meritò præferuntur.*

59.

Si verò non partium conformationes, ſed alicuius internæ particulæ functionem vel vſum proprium, quem in cadauere ſufficienter animaduertere nequeat, diſcere aut demonſtrare forſan Anatomico propoſitum ſit, quæ altera Anatomiæ ſpecies eſt: tunc quia hominibus parcendum eſſe docuimus, accommodatius aliquod animal brutum viuumq́; Anatomiæ aptiſsimè ſubijcitur.

60.

Sin nec partium naturales diſpoſitiones, nec proprias actiones aut vſus; ſed (quæ tertia eſt Anatomes differentia) earundem affectum aliquem præter naturam, morbumq́; occultum; aut abditam morbi vel ſymptomatis alicuius cauſam; aut ipſum affectum locum, ac πρῶτον δεκτικὸν morbi; aut Συμπαθείας alicuius; aut alicuius etiam ſigni, certam rationem, ſcrutari voluerit: aptiſsima certè omnium corpora erunt illa, quæ vel per eoſdem, qui inquiruntur, morbos, vitam amiſerunt, vel iiſdem etiamnum laborant.

61.

Nequaquam enim ſana ſolummodo corpora ſecare & contemplari diligentem Anatomicũ, Medicum præſertim, decet: ſed nonnunquam etiam ægra, ſeu morbis, præſertim latentibus & abſtruſis extincta, aut Hip.Epiſt.15. *animalia iiſdem laborantia. Ad Democriti videlicet exemplum; qui quò inſaniæ ſiue iræ inueniret cauſam, in animalium ſectione præpeditus, ab Hipp. repertus legitur.*

Atq;

62.

Atq; in his ſanè omnibus ſpeciebus, ſi finem proprium ſpectet Anatomicus, adeoq; priuata tantum ſit ſectio, qua ipſemet ſibi inquirere & addiſcere quippiam cupit; in ſecando ordinis ratio tantopere neceſſaria non eſt. Sin verò publicam adminiſtret Anatomiam, extremus finis potius ſpectandus, totaq; ſectio ita inſtituenda erit, vt pro oblata copia corporum, & moleſtiæ minimum, & vtilitatis plurimum, ſpectantibus conferat.

63.

Vt autem fines, ita quoq; vtilitates hæ variæ ſunt Anatomiæ. Siue enim iam internum ſiue externum ſpectes finem; Anatomia alia, Gal. teſte, ſimpliciter & abſolutè vtilis eſt, quæ videlicet κατὰ τὸ πάρεργον, obiterq;, ac potiſſimum in partibus exterioribus, naturæ ſapientiam inquirit, atq; adeò quam plurimis, etiam Empiricis atq; Chirurgis, vtilis & neceſſaria exiſtit: alia verò ἐκ περιουσίας, id eſt, ſupra vſum, ſcilicet communem, conducit. Neque enim præcipua & ita neceſſaria omnibus eſt, ſed vtilis tamen; Medicis præſertim Philoſophis, quæ ſcilicet non exteriorum duntaxat, ſed interiorum quoq; partium, non ſolùm ſectionis rationem (de qua Gal. in lib. de Adminiſt: Anat. in libris de diſſect. venarum arteriarumq;, odoratus, vocalium inſtrumentorum, vteri, &c.) verum etiam actionis cognitionem (de qua Gal. in lib. de plac. Hipp. & Plat. in lib. de facult. natur. de motu muſc. &c.) & etiam partium vſus dignotionem (de qua in lib. de vſu partium) exquiſitiſſimè ſcrutatur.

l.2. de Adminiſt. c. 2. & 3.

l.1. de Admin. c. 1.

64.

Deniq; ab ipſa quoq; cauſa efficiente, differentias quaſdam Anatomes petere licet: ſiquidem alia ſit, & quidem imperfectiſſima, quam Chirurgus: alia, quam Medicus Philoſophus, perfectiſſimam ſcilicet, adminiſtrat. Harum namq; quælibet, reſpectu ſui finis peculiaris, ferè etiam diuerſum aliquod ac peculiare ſubiectum & ſectionis modum adhibet. Sed hæc de προλεγομένοις Anatomicis diſputata ſint ſatis.

C NE

NE VACVA RELINQVERETVR PAGINA, PLACVit hæc, coronidis loco, ſubijcere problemata.

I.

AN cum Dogmatica noſtra vera & antiqua Medicina, ea, quam à reſtauratore ſuo Paracelſicam vocant, conciliari poſsit: hæcq́ nihil, præter ſubtiliores quaſdam remediorum præparationes renouarit, nobisq́ in memoriam reuocarit? Et affirmatiuam defendemus.

II.

An Medicina Paracelſica, vel autoris illius libri, retinendi ſint in Schola noſtra Medica Dogmatica? Dubitamus.

III.

An ex Antimonio, Sandaraca, Arſenico, & ſimilibus venenis, omnibusq́ alijs metallis, arte Chymica, poſsit extrahi venenum, vt ſine noxa graui exhiberi queant? Affirmamus.

IIII.

An famoſiſsimum illud medicamentum, Panacæa dictum, aut ſimile aliquod vniuerſale, quod in genere omnibus morbis reſiſtat, dari, aut arte Chymica præparari poſsit? Negamus.

V.

An Chymica medicamenta, qualia ſunt, aquæ deſtillatæ, olea, balſami, quintæ eſſentiæ, item extracta, & ſimilia, alijs (vt vocant) Galenicis, Electuarijs ſc. Syrupis, &c. præſtantiora efficacioraq́ ſint? Affirmamus diuerſo reſpectu.

VI. An

VI.

An particulari indiuiduo, ſingulares à cœlo dotes inſint? Dubitamus.

VII.

An corporibus animatis emortuis, reliquæ aliquæ, quas habuerunt, vires inhæreant? Affirmamus.

VIII.

An ſimplicium quorundam medicamentorum facultates, poßint etiam ex figura eorum externa cognoſci? Affirmamus.

IX.

An medicamenta naturalia, naturali ſua vi, contra incantationes & veneficia ſagarum & dæmoniacorum, prodeſſe poßint? Negamus.

FINIS.